



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Paraphrasis secunda Orationis Dominicæ. Prout ante Sacrum vel  
Communionem orari potest flexis ante SS. Sacramentum genibus.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](#)

Paraphrasis secunda Orationis Dominica.

Prout ante Sacrum vel Communionem orari potest  
flexis ante SS. Sacramentum genibus.

**A**doro te mi Deus in hoc tabernaculo tuo eā ipsāmet, quam proprio sancto ore tuo me docuisti, oratione. *Pater noster* mille titulis, qui es in cālis, & de cālis ad vocem Sacerdotis venis in hoc divinissimum Sacramentum. *Sanctificetur nomen tuum.* Tu cum omni sanctitate, divinitusque perfectionibus ad me venis in hoc Sacramento. Tu, quando in ultima Cōēna id instituisti, orāsti pro me æternū Patrem, dicens: *Ego sanctificavi me ipsum; ut sint ē& ipsi sanctificati in veritate.* Joan. 17. In veritate, non ficte aut simulatē, sanctus esse volo, volo in dies magis magisque ab omni peccato, omnique inordinato erga creaturas quascunque affectu vel odio recedere, & passiones meas edomare. *Adveniat regnum tuum.* Quod est *justitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto.* Rom. 14. Da mihi illud per SS. hoc Sacramentum velut pignus æternæ gloriæ, imple in me illud, ut verum fiat, quod dixisti: *Regnum Dei intra vos est.* Luc. 17. *Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra.* Tu voluntatem tuam, quæ omnis, in agendo & patiendo, perfectionis est regula, impleri vis in nostram propriam utilitatem, & cālum das eam facienti in terris. Quando dignè sacrosanctum corpus & sanguinem tuum sumo, cā-

L

lum

lum sum, quia Deus in me habitat, & sicut tunc  
quasi in cælis tibi me totum dedico, ita & in ter-  
ris postmodum, sive quando resumam alia ne-  
gotia, tuam in omnibus sanctissimam volun-  
tatem adimplere paratus sum. *Panem nostrum*  
*super substantiam SS.* Corpus tuum dona nobis  
hodie, nec speciebus panis & vini dissolutis re-  
cede à me, donec multiplici gratiæ ac meriti  
augmento benedixeris animæ meæ. *Dimitte*  
*nobis debita nostra*, à peccatis animam purga, ut  
in statu gratiæ accipiam. Copiosa est redem-  
ptio tua ob infinitum sanguinis tui pro me effusi  
premium, quod velut in deposito est in scrinio  
Venerabilis Sacramenti. In unione autem im-  
mensæ caritatis tuæ [quâ in Cruce dixisti: *Pa-*  
*ter dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*] L  
animo sincero & tibi noto dimitto debitoribus  
meis, & ignosco ac condono omnibus, qui mihi  
unquam voluerunt, fecerunt, volunt, faciunt,  
volent, facient malè. Imò ad tuum exemplum  
malefacta beneficiis rependere, semper & ubi  
potero, paratus sum. Adhuc semel repeto, &  
dico in confidentia tibi, qui corda nōsti, & re-  
nes scrutaris omnium, dimitte mihi, sicut ego  
dimitto, cumque eo majori gustu ac compla-  
centia intra in cor meum. *Et ne nos inducas in*  
*tentationem.* Adjuro te per ipsum corpus ac san-  
guinem tuum, quem jam sumpturus sum, vel  
sumpsi, ne sinas in tales me unquam tentatio-  
nem induci, cui succubitus sum. Ut, sicut  
jam in gratia tua, ut confido, sum, & per tu*re*  
*sumptionem magis confortor, sic nec in vita*  
*nec*

*Solida devotionis exercitia.*

243

nec in morte ea excidam. Deus ab austro ve-  
niet, & Sanctus de monte Pharon. Cirnua (ar-  
ma & instrumenta passionis in manibus ejus, dum  
quis eum in S. Communione accipit) ante fa-  
ciem ejus ibit mors (peccatum mors animæ eli-  
minatum) & egredietur Diabolus totus confu-  
sus & enervatus ante pedes ejus. Habac. 3. tan-  
quam Duxem, Protectorem, & omnipotentem  
adjutorem tales contra dæmonem, carnem,  
mundum te in hoc Sacramento adoro, & intra  
me sumo. Libera nos à malo, peccato scilicet  
& æternâ damnatione. Ità Domine, tu potes  
& vis me liberare. In hac omnimoda confi-  
dencia accedo, vel accessi ad tremendum Altare  
tuum. Corpus Domini Nostri custodiat me ab  
omni malo. Amen sive fiat.

*Paraphrasis tertia Orationis Dominica.*

Sive sancta desideria Superioris religiosi, quibus  
velut humeris suam familiam sustinere debet.

V. Reg. Recit. 1. juxta septem petitio-  
nes Orationis Dominica.

Decerpere ex illis potest, qua convenient, Profes-  
sor respectu suorum discipulorum, & Paterfa-  
milia respectu domesticorum, & prefectus  
spiritus in domo religiosa.

Pater noster, qui es in celis.

I. D<sup>e</sup>us Patrum nostrorum, & Domine mi-  
sericordiae, ex quo omnis paternitas in  
celo & in terra nominatur. Ephes. 3. Ecce ego

L 2

in